

crebris, & diuturnis vocat sermonibus. Quæ  
ita mihi auribus placide personant, vt ne viuā,  
si quicquam gratius audio vel antiquius, quam  
cum eum de vobis loquentem audio; Ille qui-  
dē inter cetera ornamenta quibus sæptus es, ea  
te humanitate & doctrina & religione emi-  
nentissimum virum esse prædicat, vt inter optimos  
clarissimus, inter clarissimos optimus, &  
inter utrosque doctissimus meritò recensendus  
sis. Quod in te ea omnia, quæ ad graue Epi-  
scopatus tui onus & dignitatē sustinendam  
requirantur, posita sint, cum summa tuæ urbis  
fidei religionique tuæ commissæ admiratione,  
ac si non solum Episcopi dignitate insignitum  
te esse contentus sis, eaque vti, sed omnibus ner-  
uis nitaris, vt dignus apud omnes videaris: Illu-  
strissimosq; iudices homines, qui sunt optimi,  
doctrina, & vitæ probitate præstant, non qui  
nascendi tantum claritate aut diuitiarum ho-  
norumque gradibus condecorati excelluerunt:  
quò certe ab omnibus suspiceris veluti vagum  
fidus maxima christianæ religionis gloria perful-  
gens. Nihil vero dico, quibus ipse Io. Domini-  
nicus præconijs efferat Comitem Scipionem  
fratrem inquam tuum carissimum, quod ea  
morum